



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Decimus Qvartus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

de humanæ impietatis prodigium, post DEVM factum hominem, homo ingratus, aut impurus.



MODUS DECIMUS QVAR-
TUS.

DUæ sententiæ Scripturæ quæ videntur con-
trariæ assumuntur & utraq; explicata, quo-
modo sint intelligendæ, ac concordandæ, docetur
subjectis pro Materiæ exigentia salutaribus mo-
nitis, illationibus &c. E.g. Dominica 3. à Pentec.
tractaturus super illa verba Lucæ 15. *Erant appro-
pinquantes ad Jesum peccatores, opponeres illis,
edictum Sap. 14. Odio est Deo impius, & impietas
ejus, & illud Psal. 44. Dilexisti Justitiam, & odisti
iniquitatem.* Hinc confurget quæstio qui sint pec-
catores, quibus ad DEVM pateat accessus? Scili-
cet, alij illorum sunt Recedentes Jer. 17. 13. alij Ap-
propinquantes, de quibus Evangelium. Illi sunt
odio, hi recipiuntur. Peccatum Theologis, est
recessus seu aversio à Deo, & conversio ad Crea-
turas, Receditur ab illo, passibus insensibilibus,
Cogitationis delectationis, Amoris: Sensibili-
bus, Verbi DEI, doctrinarum Spiritualium, rerum
animæ. Acceditur verò, & appropinquatur pas-
sibus insensibilibus, detestationis de agnito erro-
re, doloris de peccatis, proposito emendandi. Pas-
sibus sensibilibus, satagendo interesse Christi
in suis fidelibus servis conversationi, audiendo
verbum DEI, inquirendo de monitis Salutis
quod

quod coram Phariseis Evangelici appropinquantes, implese videntur.

P R A X I S.

Feria 3. Paschatis. *Pax Vobis* Joan 20.
Luc. 24.

Contraria Sententia

Nolite arbitrari quia Veni mittere pacem, Matth. 10.

Accessus & Propositio. Regnum Christi in se divissum esse non potest: Cum ergò hodiè discipulis ferat pacem, & Matth. 10. protestatus sit, *Nolite arbitrari, quia veni mittere pacem*, meritò quæri debet: Quæ sit Pax, quam Christus discipulis, & cum illis, nobis offert? & quæ rursus, quam à nobis vult abesse.


Confirmatio, ex Utriusque Pacis Explicatione.

De priori loquitur, D. Paulus ad Coloss. 10. inquiens. *Quia in ipso complevit, omnem divinitatis plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum.* Hic est finis, adventus & laborum Christi. Reconciliatio & pax hominum, cum D. E. O, unde & idem Apostolus ad Eph. 2. *Ille est pax nostra, quia fecit utraq³ unum,* & rursus ad Rom. 5. *Monet Christianos, pacem habere ad DEVM,* quam descripturus D. Leo Ser. 3. de Nati: posteaquam Natalem Domini, Natalem pacis dixisset

xisset, addit. *Vera pax est à DEI voluntate non di-
vidi, & ijs solum, quæ DEUS diligit delectari, Con-
formiter Chryso : Ser. 138. Pax Christi creden-
tiū corda custodit, pax quæ charitatis fecundis nutri-
tur uberibus. Pax alumna fidei, pax quæ terrena
caelestibus, & divinis humana conciliat. Scilicet,
inclinans hominem ut ea velit quæ DEUS jubet
& nolit, quæ prohibet. Quomodo enim, loqui-
tur citatus Pontifex Romanus, Divina pacis par-
ticeps erit, cui placent ea quæ Deo displicent? Non
est iste animus filiorum DEI, nec talem sapientiam
requirit, adoptiva nobilitas.*

De posteriore Isa. 48. 18. *Non est pax impiis di-
cit Dominus. In natali Christi nocte, cum pri-
mum ab Angelis, pax per Christum proventu-
ra, denuntiaretur, eo pacto denuntiata est, quo pri-
us requirebatur, gloria DEI. Gloria in excelsis
DEO, & in terra pax Luca. 1. Quasi diceretur.
Si mundus impenderit debitam gloriam DEO,
merebitur obtinere desideratam pacem homini-
bus, si hoc non præstet, audiet, quod olim Jehu in-
ternuncio Joram, respondit 4. Reg. 9. *Quid tibi
& paci?* aut, quod idem respondit, Joram inter-
roganti, *pax est Jehu?* tum ille; *Quæ pax. Adhuc
fornicationes Jezabel, Matris tuæ, & Veneficia ejus
multa vigent. O quam multi sunt! qui multis pa-
riter cum suspiriis, interrogare à se debeant: Pax
ne est? tacet ne conscientia? placatus ne DEUS?
amicum ne cælum? sed & quam multi, qui meri-
tò audiant. Quæ pax? adhuc fornicationes tuæ,
adhuc superbia, ad huc Luxuria vigent. Hi sunt,
qui**

qui vitijs merfi dum pacem in mundo & cum mundo habeant, plane se beatos dicunt. At non quam mundus dat, Christus quoq; dat pacem Joan. 14. nec venit eam mittere, sed tollere: & gladium contra eam opposuit Matth. 10. Vt illud generaliter ad ejusmodi pacem referri debeat, quod D. Aug. in psalm. 149. de affinitatibus obsequio Dei obstantibus protulit, *Sermo Dei gladius bis acutus, unde bis acutus? dicit de temporalibus, dicit de æternis. Filius vult servire Deo. Pater non vult, Mater non vult: gladio dividuntur ab invicem. Vtiliter te ille separat, malè te conglutinas. Ne Existimes Christiane dum amundi vanitatibus avelleris, pacem tuam turbari. Vtiliter separaris malè te conglutinas, Pax tua quæ de mundo est, pax non est: periculis indormis, baratrum amas. Spartiatus ait D. Nazian. epist. 139. lancea indicabat humerus Pelopidas: at Christianos, pax, utiq; nō mundi sed Christi, utiq; non quam venit tollere sed quam hodie est precatus. Christus Iesus, heri & hodie ad Hebr. 13, 8. Non potest, sibi esse contrarius: sed nec potest, mutari, Optat nobis pacem, sed suam, odit pacem, sed mundi, hoc est, optat bonū nostrum, odit malū nostrū.*



MODVS DECIMVS QVINTVS.

DVo sensu contrarij ex eadem sententia eliciuntur: ut de ijs problematice tractetur: pro conclusione autem aut decisio auditori relinquatur, aut ipse Orator decidit: & ad unam sententiam amplectendam hortatur, aut etiam, utramque

par-